FRANCISCI MARIANI

De Etruria civitate, & Spurinnæ Vetulonienſis Arretina Inſcriptione

AD CLARISS. FRANCISCUM GORIUM

ʼΕ Π Ι Σ Τ Ο Λ Ή.

QUum compererim, Vir eruditiſſime, Te reprehendere meam opinionem de Vetulonia, & Spurinna, atque adjeciſſe, meos errores virorum doctorum caſtigationes deſiderare, quod æqui, bonique facio; venit mihi in mentem ad Te quoque ſcribere, & quoniam mea σφάλματα μαστιγοφόρον poſcunt, ut hoc æquiſſimum deſiderium explere velis expoſcere. Quum igitur Spurinna *Etruſcus* Val Maximo dicatur, & in Arretina inſcriptione *Vetulonienſis*; duo mihi præſtanda ſunt: alterum noſtrum agrum, & primum ex noſtris quatuor oppidis *Etruriæ* habuiſſe nomen, alterum Spurinnam dictum fuiſſe *Vetulonienſem*, ideſt Viterbienſem. Primum quamquam omnes irrident præſertim Borghinius, Dempſterus, Bonarota, Anonymus Mediolanen. aliique, facile demonſtro: nam tabula Theodoſiana, quam Annius nunquam vidit, inter Sutrium, & Vulſinium *Etrura* ponitur, quæ a Stephano Τυῤῥηνία πόλις, & Τυῤῥήνη vocatur, quamquam non eadem revera ſit, ſed alia a Torebo, ſeu Terbo Turreno adjecta, & ideo *Bet-Terbon* in Anonymo Ravennate בית תירבון, *ſc. Domus Terbi*, ſeu Torebi, veteri lingua appellabatur: ab aliis etiam Τυῤῥηνία, & Τυρσάνια, a latinis variante διαλέκτῳ præſertim ſequioris ſeculi Tuſcania: dicitur quoque Surrena uſitata T. in S. mutatione in vetuſto SS. Martyrum Valentini, & Hilarii Codice Bibliothecæ Vallicellanæ *num.* 74. *litt. B*, & in lapidibus, quos refert Muratorius *tom.* 2. *pag.* 1085. ſed non intellexit, ubi *Au-*

gustalis SURRINENSIUM legitur. Ideo Florus bello Etrusco scribit de Rom. exercitu non longe a Sutrio: *Erat terror ingens . . . . . a latere Etruria infesta . . . . . in medio Ciminius saltus*. Et Livius *lib. 9.* Fabium ex jugis Ciminiis contemplatum fuisse *Etruriæ arva*. Plerique omnes heic Civitatem designari non intelligunt, sed Provinciam, quod tamen in aperto est ex lapide Cortonensi apud Venutum, & Muratorium, ubi nuper IV. VIR ETRURIÆ, & in alia ETRURIÆ FLAMEN apparuit, & ex Stephano, ut jam dictum est. Hæc igitur post Faliscos, & Cæretanos (utrique diversam originem, & linguam habebant) sita est, & noster ager illorum finibus, & Minione, qui Cæritis amnis dicitur a Virgilio, erat conterminus, ut etiam ex diplomatibus ante annum CIↃ Pontificum, & Imperatorum ex archivo Farfensi demonstravi. Nepet vero, & Sutrium *Portæ, & Claustra Etruriæ* non semel a Livio appellantur: de Vejentibus satis sit illud referre *lib. 2. Vejentes ex Etruria accito exercitu*, quod tantum negotii Borghinio, Fontanino, aliisque facessivit. Alia plura congessi in meis libris in hanc rem. Videamus nunc ex alia parte. Idem Livius *lib. 9.* scribit ob profectionem Rom. Ducis trans Silvam Ciminiam indignatione commotos *non Etruriæ modo populos, sed Umbriæ finitima*. Plinius quoque *lib. 3. cap. 5. Umbro fluvius, ab eo tractus Umbriæ*. Clusinos appellatos fuisse a Livio, & Frontino *Camertes Umbros* tribus libris contra Camerinenses defendi. Cortonam *in Umbria* commemorat Dionysius *lib. 1.* & Umbros ibidem testatur Ligurum ὁμοροῦντας, qui tunc non solum ad Arnum habitabant, ut notat Cluverius, & ad Pisas, ut Lycophron, & Polybius, qui etiam ad Arretium extendit; verum etiam *Ligurnum*, non Liburnum, ut optime notat Annius in Catonem, & Agyllam, & Campos ad Tyberim Evandri ætate, teste eodem Halicarnassensi. Prætereo Herodotum, Scymnum, seu MarcianumHeracleotam, Silium quoque & Servium, & Paul. Diaconum, qui Perusiam in *Umbria* locat. Etruria igitur nostri agri, nostræque civitatis proprium, & primum nomen est, quod postea ad totam provinciam fuit propagatum,

sicut

ſicut Τυῤῥηνίας nomen ad totam Italiam. Ergo appoſite Varro *lib.4. L.L. Vortumnus Deus Etruriæ*, & jure Paul. Merula *lib.4* Geograph. aliique corrigunt Plinii editiones *lib. 3. cap.5.Volturreni cognomine Etruſci* (non Volaterrani). Ideo Livius *lib. 4. Concilia Etruriæ ad Fanum Volturnæ* commemorat, *& lib.9.* bellum *in Etruria ad lacum Vadimonis*, ut etiam ait Florus *lib. 1. cap.13. reliquias eorum* (Senonum) *in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit*: Non inquiunt *in Faliſcis*, ut nunc imperite fere omnes ſentiunt. Sic Martianus Capella: *Etruriæ Regio Æneæ fœdere celebrata*: nam trajecto Minione *Tyrrheni ad limina Regis veniſſe*, canit Virgilius prope *Egelidum* (nunc *il Freddano*) & ad Τυρσηνίας θερμὸν ῥεῖθρον. *id. Turſeniæ calidum fluentum*, ſecundum Lycophronem, (nunc *il Caldano*), quod Egelido proxime fluit: Prope has aquas in Fano Volturnæ belli concilia, & fœdera fiebant: quare optime Cluverius *pag.* 473. contendit auxilium allatum fuiſſe Romulo a Lucumone ex Vetulonia Etruſcorum urbe principe, ſed de more cæcutit in loco aſſignando: nam Lucumo Tyrrhenus, ut vocat Dionyſius *pag.* 108. ex Tuſcis, & non longe a Vulſinienſibus Vortumnum Romam attulit, teſte Propertio. Atque hinc intelligi poteſt, cur Plinius *lib. 2. Apud Vetulonios in Etruria*, ſcripſerit, *in aquis calidis piſces*, & quam ridendi ſint, qui Silii lectionem immutarunt: nam poſt Vetulonienſium laudes, addit, *hos juxta Nepeſina cohors*: ii autem legunt: *His mixti Nepeſina cohors*, & quam ἀσίςατος ſit Cluverius, qui notat *pag.* 498. Silium certo locorum ordine uſum, & tamen non modo Vetuloniam in Maritimis ponit, ubi præter Populonium nulla erat urbs Etruſca, teſte Strabone, & Plinio; verum etiam Cortonam inter Cære, & Graviſcas legit in Silio eodem, quum legendum ſit non *Cortona*, quæ nondum hoc nomen habebat, ſed *Tarchona ſuperbi Tarchontis domus*, ut recte monuit Annius. Quid quod non ſolum contra omnes itinerum tabulas Vetuloniam in littore ponit, verum etiam per poteſtatem interpolat, atque inter Vada Volaterrana & Populoniam violenter Vetuloniam intrudit cum aquis Ve-

 tulo-

tulonienſibus, ridente Porcheronio in notis ad Ravennatem. *Non procul a mari* profecto habetur in vulgatis Plinii editionibus, ſed aliqui legunt: *non procul Ameria*, quod oppidum nunc dirutum nomen ſervat, diciturque *Amerellé*, & eſt prope Vadimonem, cui tota quanta eſt Plinii deſcriptio *lib. 8. epiſt.* 20. convenit ad unguem. Hæc ex Hermolao *in Plin. lib. 2. cap.* 103. qui citat initium: *Exegerat Proſocer meus &c.* quibus addendum eſt Gentilianum Amerium Plotini diſcipulum ab ea nomen traxiſſe, ut notat Holſtenius in Stephanum. v. Ἀμέριον, & *lib. De vita Pythagoræ pag.* 43. *& ſcriptis Porphyrii*, ubi eum aſſerit ex eodem Porphyrio fuiſſe *Italum*, *Etruſcum*, *& Amerinum*. Ceterum lacum Vadimonis, & Ameriam ærea tabula expreſſa videre eſt apud Buſſium *pag.* 13. Hermolaus profecto de Ameria nihil retractat, de Vetulonia potius confirmat: concedit enim, etſi alia alibi Vetulonia fuerit, ut ex plerumque corruptis Ptolemæi numeris ipſe conjectat; tamen apud nos aliam extitiſſe, *quod piſces ibi ſint in aquis calidis, & vicus hodie Vetulonius vocetur*: quod etiam oſtendit Epitaphium a Ciacconio relatum Card. Marci Viterbienſis tempore Urbani V. ubi Vetulonia ejus patria dicitur, & Statutum Viterbien. anni 1251 ubi pars noſtræ Urbis Vetulonia appellatur. At in ſecundis caſtigationibus *pag.* 431. Hermolaus ſtilum vertit: *Sunt*, ait, *qui oppidum Urvitellum Vetuloniam fuiſſe prædicent*, *quaſi Urbs Vetullo*, & paullo poſt: *Sed nec Vadimonis lacus eſſe conſtat, qui Viterbienſi agro cernitur*. Verum Urbs Vetullo ex Urvitello, etymon eſt ineptum, quia Rutilii ætate nondum extabat, & ab Orbitenſibus, ſeu Urbetanis conditum fuit poſt Coſæ, & Auſdoniæ ruinam. Quod vero Vetuloniam in maritimis ponit, repugnat Plinio, Ptolemæo, & Silio, qui referunt in mediterraneis, & ipſi Barbaro, qui in ſuis Caſtigation. *ad lib. 3. cap. 5.* inter Statonienſes, & Verentanos refert. Cum autem negat Vadimonem in agro noſtro, & non indicat ubi fuerit, lectores illudit, non Plinium caſtigat, Liviique obliviſcitur, qui *lib. 9.* Dictatorem narrat a Fabio creatum ad Longolam veniſſe

niſſe cum exercitu comparato *ob terrorem Silvæ Ciminiæ*, & interea cum Umbris, & Etruſcis ad Vadimonem eſſe pugnatum. Jam prætereundum cenſeo marmor votivum M.L. Spurinnæ in templo Herculis, hodie s. Laurentii a Buſſio relatum *pag.* 44. Tiburtium monumenta, & Arretinorum legationes publicas, qui non ſemel antiquiſſimum fœdus cum Vetulonienſibus, Q. Spurinnæ præſertim inſcriptione illa, de qua quæſtio eſt, ad nos miſſa, renovarunt, quia Adverſariorum privatæ opiniones ab agnominatione ductæ, ſicut *Urbs Vetullo* Barbari, *Vetuliæ, & Silvæ Vetlettæ* Cluverii, aliorumque, tam gravibus, nobilibus, publicis monumentis noſtris, ſicut fidem detrahere non poſſunt, ſic nec confutationem merentur. Illud adnotaſſe ſatis ſit, quod Vetulonia dicta eſt *Princeps*, ideoque Μητρόπολις, & *Decus Mœoniæ*, ideſt regionis Lydorum, ubi erat Corithus. Falſum enim eſt Cortonam dictam fuiſſe Corithum: imo Dionyſius narrat, Crotonem (ſic enim vocabatur) extitiſſe ἔγγιστα Τυρσηνοῖς. *i. Tyrrhenis vicinam*, diverſoque ſermone uſam, & nomen Cortonæ paullo ante ſuam ætatem habuiſſe, eamque occupaſſe Pelaſgos, qui *inde profecti* ἐκεῖθεν ὁρμώμενοι (non ὁρμόυμενοι, quod nec Cluverius, nec interpretes animadverterunt) *ædificarunt Turrheniam*: τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν: Sicut nec Cære conditum eſt a Lydis, ſed a Theſſalis, & ideo *Urbis Agyllinæ ſedes in jugis Etruſcis, ubi Lydia gens conſedit*, teſte Virgilio, Fanum Volturnæ, ſeu Vetuloniam, ubi concilia agitabantur, ſignificat, ut ſatis ſuperque probatum eſt in *Etruria Metropoli.* Antequam enim cum Tarchonte, & Turrheno Lydi ſecundo adventu ad nos venirent, *Corithus mons, & oppidum, unde Dardanus,* ut ait Servius, a noſtris tenebatur: & Agylla, quæ Cære poſtea dicta eſt, primum nomen retinebat, ut liquet ex Lycophrone, aliiſque, quum Lydi Tmolo relicto, in illam irruerunt. Adde quod Numatianus diſtinguit regimen Piſarum, ubi ejus pater Prætor fuerat, a πολιτεία *per Corithi populos*, ideſt Mœonios ubi Rector fuiſſe dicitur, ſicut etiam Symmachus loquitur *epiſt.* 120. *Extant acta apud Etruſcum confecta Rectorem*. Jam vides Vir Cla-

Clarissime, me solum proferre Auctores, & monumenta ab omnibus probata, quamvis ex Annii libris depromere potuerim Desiderii decretum πολιθρύλλητον sine ullo reprehensionis timore: nam CCC. *annis ante natum Annium* visum jam, ac descriptum fuisse testatur Holstenius, *& litteras esse vere, ἦ γνησίως Longobardicas*, & ideo castigat Cluverium familiarem suum, & studiorum comitem *pag. 64. & 68.* Cum Holstenio concors est Fabrettus Inscription. *pag.* 453. Scholiastæ in Gruterum, & Novell. Florentin. mens. August. an. 1749. Jam vero in Desiderii marmore Vetulonia, & Etruria cum Fano Volturnæ, & Longola, *Arbano excluso*, ut canit noster Gottifridus in patriæ Annalibus mss. ubi Viterbum est, asseritur, ut ego acerrimis conatibus non modo Cluverii, verum etiam Borghinii, Dempsteri, Anonymi Mediolan., Camerinensium, & demum Philalethæ, seu Lud. Muratorii restiti: quo successu viderint, qui oculos habent eruditos. Similiter adhibere poteram Itinerarium Antonini, quod tanquam Annii fœtum diris devovent nostri Censores, quando mille annis ante in celeberrimis Europæ bibliothecis cum altero ab omnibus laudato coactus est fateri extitisse ex Epist. Dedicatoria Josiæ Simleri, aliorumque testimoniis, Anonymus Mediolanen. Muratoris socius, licet contra me calamum acueret in *Censura Viterbien pag.* 43. & Dempsterus illud in patrio solo repertum, sæpe laudat imprudens sub nomine *Antonini, seu Anonymi Scoti* in lib. *De Etruria Regali*, quod posset confirmari ex Hallervordii Spicilegio *pag.* 683. quod edidit Jo. Alb. Fabricius. Hæc nostri Adversarii, vel ignorant, vel dissimulant, inter quos Averanus γελοίως adscribi voluit, *tom.* 2. *Dissert. pag.* 18. Quid dicam de Catonis Fragmentis? Possem proferre quoties Sylburgius, Goltzius, Cellarius, & Harduinus laudant, aliique, & quanti fecerint Dionysius Gottofredus, Gasp. Barthius, Onuph. Panvinius, Carol. Sigonius, qui moniti ac deterriti, ne irridendi sui facultatem æmulis darent, tantam tamen se iis fidem habere palam professi sunt, quantam reliquis Veterum monumentis. Sed ratam tantorum virorum aucto-

auctoritatem, consideratumque judicium, nostri adversarii ne flocci quidem faciunt, sed potius jucundæ (jocosæ dici debebat) Latini narratiunculæ, qua in primis captus fuit Antonius Augustinus, aures præbent. Ego modo solum per transennam ostendam in iis Fragmentis *Phocenses* prope s. Miniatum describi, quod quum Borghinii, aliorumque diligentiam prope fugerit, & solum ex vetere charta an. 1202. ut jam dixi, in certam notitiam paucos ante hos annos venerit, impulit auctores Novell. litter. Florent. Desiderii decretum esse verissimum, ut faterentur, & ab Annio minime potuisse supponi. Idem Cato ponit *Sabinam* prope Ravennam, *quam omnes silent*, ait Porcheron, & ibi revera erat ex Anonymo Urbis ejusdem. *Sagam* ad Padum, quod confirmat Cellarius ex tabula Peutingeriana. *Fluentinos Arnienses* habet Cato, & Desiderius: ringuntur multi, sed in iis locis apparuit nuper ex eadem tabula, & Anonymo Raven. *Olenam* prope Bleram quis audierat? Et tamen ibi locatur in tabula eadem. *Corithus mons, & oppidum in jugis Ciminiis* refertur in iisdem fragmentis: nunc omnes cum Cortona confundunt ex falsa Silii lectione, quam tangunt variorum notæ: Verum Cortona describitur diversa positione a Coritho in Ptolemæo non solum in libris excusis, sed etiam in Cod. Urbinate, qui Alexandro III. fuit dicatus. Asserere vix audebant Viterbienses agrum, seu comitatum usque ad Sutrium, Minionem, & mare habuisse, sicut pluribus locis Annius insinuat: pro certo non habebant Forum Cassii, Orclam, Barbaranum, Cornietum, & Tarquiniense territorium post Urbem deletam, possedisse (unde Tuscanellum ædificarunt), Pastrinianum, Orazanum, Lacum Bulsinium cum territorio Martano, Mont. Flasconem cum Ecclesia s. Flaviani, Mont. Maurum usque ad Arminem, & Tamonem, & alia loca usque ad Polimartium, & Ortam: nesciebant Episcopum, & Diœcesin Tuscaniensem nihil aliud significare, quam Viterbiensem, sed ex variis ms. diplomatis in Vaticana, quæ Zaccagna collegit, & ex Leone IV. apud Balutium, aliisque, quæ ad nostram ætatem latuerunt, Annii fides,

atque

atque innocentia absoluta est. Quum igitur Viterbiensium Censores Antiquitatum, quæ quotidie vasis, statuis, characteribus Etruscis, & in primis musivo opere prope s.Mariam in Volturna, quod refert Montfaucon, ex quo Bussius *pag.* 32. solum Pavonem cum hasta ante Turrim, vulturem cum lituo, & Mœoniam mitram γραφικῶς representat, confirmantur; non dicam prædictorum monumentorum auctoritatem, antiquitatemque ignorarint, sed quod caput est, Etruriam civitatem extitisse nescierint, imo inflatis buccis exploserint, nobis aliud non restat, nisi ut Livium, Plinium, Dionysium, Florum, Stephanum, Tabulam Theodosianam, inscriptionem Cortonensem, Surrenensemque exhibeamus, exoremusque, ut si quid contra sentiunt, exponant. Ego quidem conceptis verbis jurare possem me post tot annos non modo Annium ab omni fraude alienum reperisse, quod Ill. Anastasius Archiep. Surrentinus, Additiones ad Bayle, Supplementum ad Morerium, aliique fassi sunt; verum etiam nostras antiquitates ab errore penitus esse immunes, nec quemquam ex novis Aristarchis sive in hebraicis etymis, quorum multa indicavi, sive in Vejorum situ, sive in Vadimonis lacu, sive in Arce Iti, seu M. Blascone, neque in thermis Caiis, & Avernis prope Pontem Camillarium, neque in Petra Sancta olim Fanum Feroniæ, neque in Aquis Taurinis mediterraneis, neque de Capua in Oscis, neque in Sentinatibus ad Pontem Sentinum, neque de Cæcina, & Mœcenate Volturreno, quod probavit Biblioth. Ital. to. x., neque de Milone ab Annia gente Etruriæ adoptato, jure reprehendisse, quanvis clamitent, irrideant, & damnent: ideoqne hoc uno responso omnes compesci par erat, videlicet, non *non liquet*, neque quæ objiciunt evidenter probare, quod ad justam accusationem leges omnes requirunt. Hæc ad Te, Vir eruditissime, scribere mihi visum est, audentius fortasse, quam par erat; sed parcas, oro, in patriam amori, & mei in te obsequii testandi desiderio, quod si aliqua in re jubendo experiri volueris, erit mihi gratissimum.

Vale. Roma.

FRANCISCI MARIANI

DE THERMIS TAURIANIS, AQUIS TAURINIS

ET AGRO SENTINATE IN ETRURIA

Martyrologium Rom. illustratur, aliique Scriptores.

QUum Claris: Eques Guazzesius nuper meam opinionem de Sentinatibus in nostra Etruria improbare videatur, pauca hæc scribere decrevi ad veritatem illustrandam, cujus is est amantissimus, & ego unice cupidum me profiteor. Postquam igitur proximis litteris ad Eruditissimum Gorium Florentinum, aliisque lucubrationibus ostendi Etruriam Civitatem, σὺν χώρᾳ, quæ a Græcìs Τυῤ-ῥηνία, & Τυρσανία dicta est, & in Actis SS. MM. Valentini, & Hilarii *Surrena*, post Faliscos, Ciminos montes, & Cæritum Agros, Minionemque positam, præsertim ex Livio: *Nepet, & Sutrium portæ, & claustra Etruriæ*; ex alia vero parte, Vulsinienses habuisse conterminos, lapidibus capitolinis referentibus triumphum *ex Etrusceis*, & anno insequenti *ex Vulsiniensibus*, ulterioresque agros Umbriæ nomine fuisse appellatos; libet alia quoque parum vulgo cognita explicare, & morem gerere eruditis Lipsiensibus, qui me hortati sunt *tom. 2. Supplem.* ad Etruscas antiquitates adhuc majori luce indigentes illustrandas.

In Martyrologio Rom. A. D. xi. kal. Januar. legitur *S. Flavianus ad Aquas Taurinas*. Qui Annium non au-

diunt,

diunt, omnes una voce dicunt; has Aquas eas esse, quæ prope Centumcellas existunt. Verum illæ non Aquæ Taurinæ, sed *Taurianæ* dicuntur, ut videre est apud s. Gregorium Dialog. lib. 4. cap. 55: (in græca quoque versione Ταυρίανα legitur) nec locus urbis erat, sed mansio calidis aquis abundans: e contrario certum est *Aquas Taurinas* inter urbes mediterraneas a Plinio recenseri, & Ptolomæo. Illas Centumcellenses Numatianus vocat *Tauri dictas de nomine Thermas*, utiturque περιφράσει, quia *Taurianas* elegiacus versus non admittit. Ex quo apparet in Peutingeriana prave scribi, ut notat etiam cl. Mazzocchius, quia appellabantur revera non Aquæ Tauri, *sed Taurianæ, de nomine Tauri, sicut Æneadas de nomine Æneæ* vocat Virgilius. Aquenses igitur Taurinos, quos recenset Plinius in mediterraneis, quosque Aquulæ nomine designat Ptolemæus, ubi nunc est Acquapendente, nemo dubitare potest extitisse. *Acula*, inquit Anonymus Mediolanen. pag. 410., *Lexicographis Aquapendente*, quod multo clarius confirmant post Ortelium Baudrandus, & Martinerius *Aquenses Taurini nunc Urbs Aquapendente in colle prope Peliam, Oropitum &c.* Ex his patet Thermas Taurianas, & aquas Taurinas non esse idem, sed re, loco, & nomine esse diversas, & nostros Aristarchos calida a frigidis, & urbes a vicis non distinguere, Annium vero ante omnes optime adnotasse pag. 27. & alibi edit. Paris. 1512. *Aquenses cognomine adhuc Ægyptio ab Api Apenentes, quos Plinius Taurinos interpretatur*. Nemo enim ignorat *Apis* Taurum significare. Nam nostri sæpe antiquas nomenclaturas vel retinuerunt, vel explicarunt, quod miræ eruditionis, & doctrinæ confirmat Can. Mazocchius agens de appellatione Neapolis, & Parthenopes. Sic Luna, Grecis σελήνη dicta est, a nostris *Iara, & Car-iara*, idest Ager Lunæ: Lydi a *Lud* idem, ac Mæonii: *Bet Terbon* est domus Terbi, seu Torebi, qui Turrhenus dictus fuit, & ideo Viterbum appellarunt Turrheniam: *Saturnia, & Camesene* idem est, ac Latium: *Etruria* est ab Athuria, seu Assyria, quod etymon laudant, & sequuntur

tur auctores Histor. Univ. Londini vulgatæ, in supplem. Neapoli recusæ 1741. qui etiam notant Lucumones significare Duces ex hebræo *Lochem* לחם, sicut *Lartha*, & *Martha* Magnus, & *lacus Martæ lacus Magnus* in Plinio, & Desiderii Decreto apppellatur. Nostros enim ex Asia venisse veteres auctores tradunt, & publica legatione ad Tiberium testati sunt Lydi, teste Tacito lib. 4. Annal., dum petebant, ut templum Sardis statueretur. An non veriti essent tanto Imperatori imponere? Dialecto vero hebraica fuisse usos extra omnem dubitationem ponit explicatio Haruspicum ad Augustum apud Svetonium, quum *Æsar*, *beatum* Etrusca lingua, seu *Divum* significare responderunt, quod ex primo verbo Psalmorum certum est. Alia plura in meis libris adnotavi præsertim contra Lud. Muratorium, qui nostra Etyma a primævis linguis deridebat. Quum igitur s. Flavianum legimus ad Aquas Taurinas occubuisse, & notum sit illius templum ac sepulcrum antiquissimum non longe ab Aquapendente prope M. Flasconem adhuc existere, dubitari non potest, quin eodem tractu extiterint Aquenses Taurini. Adde, quod in Urbe *Acquapendente* etiam nunc cernuntur Saxea Capita Taurorum vetustissima, quæ aquas uberrimas fundunt. Olim ego locum non longe dissitum esse suspicabar, & ideo tabula topographica in libro *de Etruria Metropoli*, & quæ dixi ad finem capitis XVIII. corrigenda sunt.

Hinc gradum ad aliam quæstionem faciamus, ut lucem afferamus tum Romano Martyrologio, tum profanis Scriptoribus. T. Livius lib. X. cap. 18. & 19. Patav. 1694. narrat bello, quod cum Floro, & aliis semper *Etruscum* vocat, duos exercitus, alterum in Vaticano, alterum in Faliscis prope Ciminum positos contra Etruriam, atque inde admotos jussu Consulum ad Clusium, ut contra hostes Apennino transgressos in agrum Sentinatem, dimicarent. Quidam codices pro Clusio habent *Sitium* in duobus mss. Frontini, ubi hoc ipsum bellum memoratur, & pro Apennino legunt *Apennium*, quod etiam notavit Rob. Keuchenius in emendat. lib. 9. cap. 8. Quare Apenninum,

 sive

sive Apennium heic idem, atque Apenentem significat, seu Aquenses Taurinos. Nec mirum sit hos antiquum nomen retinuisse, & Aquasenses, Apenentes, seu Apennios dictos esse, etsi latini Aquenses Taurinos vulgo appellabant: sicut Thebæ voce Ægyptia, Bœotiæ græce dictæ sunt, ducto utroque vocabulo a bobus, hoc enim temporum, linguarum, & locorum vicissitudo sæpissime effecit, & exempla sunt obvia. Et ne a simili vocabulo discedamus: Taurini *inter Alpes, & Apenninum*, ut scribit Cluverius, dicti sunt Taurinates, Taurisci, & Staurisci, & etiam teste Stephano Troi, & Terisci. Sentinates ergo ii sunt, qui circa Pontem Sentinum, nunc *Centino* habitabant, ut videre est in exactissima tabula Patrimonii Phil. Ameti. Sentinum enim Oppidum eo tempore veterum Umbrorum in his locis ponunt non modo verus Cato, ut fatetur Dempsterus *De Etr. Reg. tom. 2. p.* 170. Sed etiam Cato Annianus, & Desiderii Decretum, quæ duo monumenta tantam habent auctoritatem, quantam quæcumque alia, quæ falsi crimine convinci non possunt; ut ajunt Novel.litter. Floren.mens. Augusti 1749, ut Dionys. Gottofredum, Gasp. Barthium, aliosque ὑπερασπιστὰς omittam. Ea enim multis sæculis ante Annium in Europæ Bibliothecis, & Archivis servabantur, quod a me ex Holstenio, Symlero, Anonymo Mediolan., aliisque ostensum est ad veritatem. Hæc quamvis magnum pondus habeant, tamen quia quibusdam morosis hominibus non satis sunt, addamus Livii auctoritatem. Hic cum Floro, aliisque veteribus bellum, quo occubuit P. Decius Patris exemplum secutus, Etruscum, & cum Etruscis etiam Cicero, lib. 1. Tuscul. semper appellant. Postquam enim nostros milites Q. Fabius ejecit ex Sutrio, seu Sitio (sic enim teste Annio primum dictum fuit) per juga Cimina via aperta est, pluresque pugnæ in nostro agro ad Vadimonem pugnatæ fuerunt. *Visa est*, inquiunt laudati auctores *Addit: ad Histor. Univer., visa est ad ripas Vadimonis non longe a Viterbio acies maxime formidabilis omnium, quas unquam Etrusci coegerunt*. Nostri igitur huc, atque illuc

palan-

palantes cum fœderatis Umbris, Gallis, & Samnitibus in agrum Sentinatem veluti ad incitas, redacti fuerunt, unde Pelia Fluvius in Tiberim effluit (Palliam vocat Anonymus Raven.) Heic Cluverius, aliique, qui solum Sentinum noscunt ad Saxum Ferratum in nova Umbria, cogitent tantisper, an eo Tiberis deduci posset & montes tranare Apenninos? Ipsi verba Titinii sciunt, & referunt ex Servio lib. XI. Æne. v. 417. *Vidisti Tiberim? Vidi. Qui illum derivet, beaverit agrum Sentinum*. Explicent, quod narrat Livius, consules nempe scripsisse Gn. Fulvio, *ut ex Falisco, & L. Postumin, ex Vaticano exercitum ad Clusium admoneant summaque vi fines hostium depopulentur*, additurque ibidem: *Hujus populationis fama Etruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos movit*. Quis sibi suadeat, nisi horum locorum imperitus, & Etruriæ civitatis inscius, ut fere sunt nostri adversarii, ex Umbria trans Apenninos, nostros Etruscos ad opem ferendam rebus suis accurrere potuisse? Hoc in primis considerare debebat Holstenius, qui Desiderii Decretum ex professo defendit. in quo Etruria, & Turrena Viterbum esse asseritur. Verum quotquot de hoc bello scripserunt mirum in modum vocum similitudine decepti sunt, nam Umbros, qui nostras partes sequebantur, eos esse credunt, qui trans Tiberim habitabant, quum Livius *Etruriæ finitimos, & proximos* dicat, ut similiter de Camertibus Umbris, hoc est, Clusinis contra Camerinenses, eorumque defensores demonstravi, (nullius honorem lædendo, sicut meus est mos, sed pro viribus, salva cujusque dignitate, Cluverii præsertim, & Dempsteri convicia repellendo: quod dico, ne me immeritum hac in re amplius accusent: sed ad propositum revertamur) T. Livius scribit paullo post cap. 21. *In Etruria per eos dies ab C. Fulvio Proprætore pugnatum etiam egregie est*: & mox: *magna ejus diei, quo in Sentinati agro pugnatum, fama est*. Ubi bellum, ubi pugnatum est, aut ubi occubuit Decius? In Etruria, & bello Etrusco. Legant Ciceronem, & Florum. Sed Livium sequamur paucos post versus. *Q. Fabius Deciano exercitu relicto in*

Etruria

Etruria suis legionibus deductis ad Urbem de Gallis, Etruscisque, ac Samnitibus triumphavit . . . . celebrata non magis victoria Q. Fabii, quam mors præclara P. Decii. Quomodo in Etruria relictus Decii exercitus? Quia ex Etruria non discessum est. Cur Etruscos triumphatos, & non etiam Umbros commemorat? Quia Etrusci, & Umbri ejusdem provinciæ erant, unoque nomine comprehendebantur. Profecto Etruscorum, Umbrorumque agmina cum Gallorum, & Samnitium amplius quadringentis millibus peditum, & Equitum XL. millibus, juxta Orosium, tam brevi tempore, tam longo itinere, per asperrimos montes ivisse, & redivisse incredibile est. Præterea Rom. Duces usque ad arva Æsii contermina persequi voluisse fugientes hostes, ubi Senones terror populi Romani habitabant, & Etruscos, Umbrosque suas urbes reliquisse nullam veri speciem habet. Quid enim sperabant, aut quid quærebant? Immo quid non timendum erat inter tot populos non satis notos, per tot juga, & saltus, viasque intentatas? Quum per Ciminum montem ex Sutrio idem Fabius nostros insequi decrevit, ut paullo ante narrat idem Livius, prius Fratrem, & Servum pastorali habitu indutos, & Etrusci sermonis peritos præmisit, ut brevissimum iter, & loca quæ intranda erant specularentur. Et ex nostris arvis usque ad Saxiferrati campos temere, atque inconsulte tam longo, ac periculoso itinere contra tot ferocissimos hostes, per rupes, angustiasque insidiis natas, se Romanum exercitum deportasse quis credet, aut quis aliis sine ulla dubitatione credendum propinabit? Non minus vero serio cogitanti incredibile videtur, quod narrat idem Livius, & Frontinus: nempe cum in agro Sentinate bellum commissum iri Senatus audivit, imperasse Fulvio Propræt: & Postumio, ut ex Vaticano, & Falisco irent ad infestandos hostium fines. Ad hunc rumorem, nostri quid consilii cœperunt? *Hujus populationis fama*, inquit historicus, *Etruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos movit*, ut jam attigimus. Romani paucorum stadiorum spatio, & tantum Cimino interjecto contra Etruriam ex Faliscis irruunt,

ruunt, & post hanc famam ad Saxumferratum tam longe allatam, nostri iter capessunt, & ad defendendas domos suas se accurrere posse confidunt? Neque ope dædalea, neque si velivolantibus navibus nostri usi essent, ex iis locis præsto esse potuissent. Et tamen nostri censores non modo hæc credunt, verum etiam nobis non credentibus illudunt, quum ii adeo sint rerum nostrarum imperiti, ut qui fuerint Umbri Etruriæ finitimi, & Etruriæ civitatem ignoraverint, ut nuper ostendi in epistula ad clariss. Gorium Florentinum. Certe hujus belli narrationem apud Livium minime verosimilem Londinenses in supplemento laudato suspicati sunt: sed qui in Etruria, atque Etruscis Beterbon, seu Τυῤῥηνίαν πόλιν videt; in Umbris Etruriæ finitimis populos prope nostrum agrum, & Umbronem fluvium noscit; in Sentinati agro arva prope Peliam, & Pontem Sentinum collocat; is omnia clara, atque expedita habebit, & ex omni ambiguitate sese explicabit. Omnino si hæc assertio mathematicorum more, qui demonstrandi methodum exactissimam tenent, nuda ὑποθέσει, solaque adumbratione procederet, quum tanta sit locorum convenientia, & rerum descriptarum concordia, tamquam ἀπόδειξις admittenda videretur. Nunc vero quum antiqua monumenta, & rationes firmissimæ mecum faciant, & nostri censores a difficultatibus vix, aut ne vix quidem explicare se possint, quid censendum sit æqui lectores dijudicent.

Nolo itaque urgere heic Annii, & Thomæ Veltrii disputationem, & argumenta *in Institutionibus Antiquitatum Viterbien.* pag. 16. nempe Consules non potuisse Provinciæ suæ fines egredi, quod *veteres, & novæ leges semper vetarunt*, ideoque non licuisse Q. Fabio, & P. Decio Etruriam relinquere, & Umbriam trans Tiberim & usque ad campos Senonibus vicinos intrare, quia quæ dicta sunt satis esse arbitror, solius Etrusci belli nomine, & locorum consideratione proposita: in primis autem agri Sentinatis ex Servio prope Tiberim, in quem ex Ponte Centino per Oropiti, idest Urbis veteris campos Pelia suas aquas imittit, teste Leandro Alberti, tabulisque Chorographicis. Hoc unum

unum mihi addere liceat; quòd nuperus ſcriptor miraris ſe dixit, quod ipſe Antiquitates Viterbienſes defendam. Non eram neſcius ſtuporis hujuſmodi, atque hinc exordium duxi in Oratione pro Annio Sacri Palatii Magiſtro, quam multis ab hinc annis edidi. Mirabatur quoque Anonymus Mediolanen., ſtupebat quoque Ludov. Muratorius extitiſſe, qui Annium defenderet, at tandem poſt tot clamores illis vox faucibus hæſit. Quare multo magis ſtupendum eſt, quod noſtri Adverſarii me, & Annium inſimulent, & ne probabile quidem argumentum ullum afferant, totumque accuſationum ſuarum firmamentum in Latini Latinii narratiuncula, & Antonii Auguſtini credulitate ponant, quod videlicet in marmore Iſidis, & Oſiridis litteras inſculpſerit, quæ narratio non modo jucunda eſt, ut ipſe Latinius ajebat, & jocoſa, ſed etiam falſiſſima: Tabula illa enim nullas habet litteras, ut in ipſa Oratione pro Annio demonſtravi, ſed eſt ſimplex Hieroglyphicum, quod explicat, exhibetque lib. 21. cap. 19. Pierius Valerianus.

Extat ea adhuc in Palatio Senatus Viterbien., extititque ſemper ab antiquo, ut ait Annius, ante oculos omnium. Adeo inconſiderati, præcipiteſque noſtri Cenſores ſunt, ut cum loca numquam viderint, monumenta minime inſpexerint, rerum controverſarum nullam informationem habeant, tamen nihil dubitent, nihil expĕdant, nihil inquirant, ſed ad primas voces, vulgique rumores pronas aures præbeant: cumque ſe humanitatis ſtudioſos maxime credi velint, per ſummam inhumanitatem, ne audire quidem dignentur, ſi quis contra aliquid dicat, aut ſi quos ipſi in dicta cauſa damnarunt, defendendos ſuſcipiat.

FINIS.